



ORATIO
IN FVNERE
IOANNIS BAPTISTÆ
CARDINALIS ZENI

HABITA

A

MARINO QVIRINO
VENETO CIVE

*In Seminario Ducali Humaniorum Literarum
Auditore*

CORAM SERENISSIMO PRINCIPE
& Augustissimo SENATV.



VENETIIS, M. DC. LXXXV.

Apud Io: Franciscum Valuafensem.

Superiorum Permissu.



ORATIO

SI qua inter pias Heroum Animas locum habere posset Inuidia, puto, SERENIS-
SIME PRINCEPS, AMPLISSIMI
PATRES, has ipsas ex alta illa Cælo-
rum specula quotannis ægris oculis in-
tuentes CARDINALEM ZENVM, non humeris
Senotorum, vt olim Augustus, sed Immortali Veneto-
rum Patrum memoria tam honorificè elatum, tantæ
gloriæ monumento offendì posse perenniter manfu-
ro. Nec iniuria. Quid enim gratius à Republica Bo-
nus Ciuis accèpere, quid præstabilius bono Ciuii Respu-
blica donare potest? Opes? Rotante Fortuna fluxæ
sunt. Honores? Sæpè sunt vitiorum præmia. Sta-
tuas? Qui erigere, destruere etiam potest. Cæte-
rūm Monumentorum Moles ad Benemeriti Ciuis
memoriam, nescio quonam fastu extruantur, in qui-
bus aptè dispositæ Facinorum, & Virtutum Imagines
Posteris admiraturis suum trādant Auctorem;
Quidquid arte, aut manu factum conficit aliquando,
& consumit Vetustas. Viget autem, semperque vi-
gebit tanti Cardinalis apud Senatum Venetum recor-
datio, quæ sola perpetuò efflorescens suos de se opti-
mè meritos Ciues vindicat ab interitu, nullamque ti-
met vetustatem. Ideo cum Senatus Consultum diui-
no penè dixerim beneficio affecerit ZENVM, quo

A 2 nul-

4

nullum maius, ac tutius excogitari potest, quamdam Inuidiam; vel inter Heroas Mortalitate exutos, qui aut in Consilijs spirituum florem, aut in prælijs Sanguinem effuderunt, cieri posse crediderim. Verum enim vero si equalem Sortem cum ZENO iactare possent, & tumulos sibi magnifice extructos, & simulacra Virtutum insignia, & quælibet Honorum Argumenta libenti animo recusarent; videlicet si semper venerabili specie SILVESTRI VALERII Optimi, Serenissimi Principis, & Augustissimi Senatus aspectu quotannis cum ZENO perfruerentur. Etenim Princeps recto iudicio suo Amplissimos dona honores, auget in Immensum præsentia sua, cum ipse eximiæ Laudis testis esse velit, & admirator. Quamobrem in hoc breui funebris Orationis Curriculo ostendere mihi mens est, ante omnia Honorum emblemata nullum gratius, nullum speciosius, nullum splendidius, nulli de Republica benemeritorum Ciuium contingere posse, quæm præsentem Principem habere suum, cui toties repetita meritorum testimonia adeo placent, quasi quædam acroamata, ac si post tot annorum ambitus, nondum exuerint gratiam nouitatis. Parce, Serenissime Princeps, mihi Oratoris munus subeundi, si audeo coram tanta Maiestate Loqui, cum ipsa eloquentia, tam insigni aspectu perterrita obmu tesceret, nedium Puer, qui loqui nescit; Sed necesse est, ut aliquid dicam, ut sit vnde Auditor cogitet quid de CARDINALI ZENO dici possit. Quamuis nulla in hominibus apud Proutidum rerum Conditorem altera Nobilior Anima sit, cum omnes nullo discrimine ex eodem Diuinitatis Thesauro depromptæ esse videantur; Tamen Principum Animas singulari quadam prærogatiua insignes, quippe quæ

uæ alijs præesse aut natura, aut forte destinantur,
 peculiare sibi habitaculum meliore contextu, & inge-
 nioiore præparari, ac singi facile putauerim, ex quo
 eddere sua possent Oracula ad Subditorum felicita-
 tem. Indè ingerunt singularem quamdam apud om-
 nes sui venerationem, & ita creduntur cum Platonis
 intentia ex auro compa&æ, cum cæteras ex Metallis
 ignobilioribus cōstare, fuerit opinatus, quippe quæ ma-
 ximarum rerum pondere graues, & inæstimabili pre-
 tio sacræ, quid quid agunt, quid quid imperant, ado-
 randum præstant. Tantò enim conspectius in se mu-
 nus est, quantò maior, qui decernit, habetur, & eò
 pretiosius, quò Principis præsentia clarescit. Æsti-
 manda sunt, quæ veniunt ex alto, vt Purpura eò No-
 biliar quò altior; Sed maiori pretio considerantur,
 cùm ipse Princeps in illis adeo sibi placet, vt etiam ai-
 fiduitate videndi numquam satiari velit. Et sane,
 quanta admiratione Consilium SERENISSIMI
 PRINCIPIS, in quo resulget species Diuinitatis, ex-
 cipiendum est, quo voluit per singulos annos egregia
CARDINALIS ZENI merita, non recenseri tan-
 tū, verùm etiam audire? Hæc tanta decora, & ve-
 nerabilis facies, quæ suspensa grauissima Publicarum
 rerum tractatione huc benignè descendit, sicuti gra-
 tum terrorē inicij Oratori, ita quantum recreat,
 & ingenti gaudio perfundit **IOANNEM BAPTIS-**
TAM CARDINALEM ZENVM, cui conti-
 git habere quodammodo Principem suarum Lau-
 dum Buccinatorem? Sentit enim in hac solemni Fu-
 nebri Pompa sua præconia renouari, quæ aut suum
 præclarum Genus longo Proauorum ordine non mi-
 nus sanguinis Claritate, quā Egregijs Virtutibus in-
 clytum, aut Purpuream verecundiam, quā talua res
 est,

6

est, cùm adhuc esset Adolescens quotidie magis efflorescentem, aut in Lubrica ætate, quæ ad vitia non prona tantum, sed & Præceps, morum Sanctitatem, aut altum, & arduum ingenium ad penitiora naturæ secreta rimanda in Philosophico studio, aut in Magistratibus acerrimum iudicium numquam Causidicorum Ludificationibus irretitum, ab omni assentatione remota, & Orationis fuso minime infecta ad optimorum Ciuium imitationē in tantam proferunt Maiestatem. Dulciores fructus Generosus Animus non degustat. Benigna Principis aura enutritur, qua nulla suauior, intelligit Immortalitatem sibi parari ab eo, qui mori nescit. Si quidem omnium Virtutum conspicere, & monstrari fructus est. Quis eam, quam nulli ostenderet, purpuram solus explicuit? Quis Peregrinas Dapes in auro apposuit, cùm viueret in Solitudine? Ingentium Operum iritamentum est admirator, & conscius.

Sit am gratus Militari Sacramento addictis in anticipitis prælij discrimine verantibus Imperatoris aspectus, ita ut tale Theatrum spectantes, tamquam victimæ Libentissime cadant, non aliud epitaphium tuo in funere inscribi optantes, quām sui Ducis oculum; Proh quām Cara erit præstantissimis viris de Republica benemeritis rerum suarum præclare gestarum commemoratio, pronis auribus ab optimo Principe audita, qui cum intelligat Subditorum fuorum, aut Humanitatem, aut Fortitudinem, aut Studia, aut Liberalitatem summis Laudibus celebrari, exprobrari sibi Superbiam, Inertiam, Otium, Avaritiam non veretur! Utque maxime nocte, dieque torquentur homines, quibus negatur irati Principis vultus, ita quantum oblectantur, quibus datum est Principis oculo suo.

7

suorum facinorum Teste gaudere? Quo autem
Longam, & pretiosam Virtutum suarum supellecti-
jem sibi pararet CARDINALIS ZENVS, sui
Principis oculis perenniter explicandam, post tot
emeritos in Patria Labores, Patria veste mutata, non
Animo, facræ Militiæ adscriptus Romam omnium
Gentium Comunem Patriam, & Portum adjit, cui
ingentis animi specimen illicò præstítit, siue cum pre-
claris Apostolicæ Ditioni, & Fidei subiectis Vrbibus-
regendis fuit admotus, siue cum in arduis Legationi-
bus constitutus, in quibus qualis, quantusque futurus
esset ostendit, si editiorem in Locum non à Secunda
Fortuna, non à Sanguinis vinculo, quo cum Eugenio
Quarto, tum Summo Pontifice, deuinctus erat, sed
à meritorum suorum pondere fuisset promotus.
Eius vota Impleta, cum in Sacrum Pur-

En communia vota Impleta, cùm in Sacrum Pur-
puratorum Patrum Collegium Te adscitum intueor
IOANNES BAPTISTA ZENE in quo , & Sa-
cram, & Venetam Purpuram simul cumulatissimè de-
corasti, & probasti magnos Eque Viros è Venetis Æ-
stuarijs, ac à Tiberi prodire posse , nisi quod peregri-
næ Opes plurimi æstimantur. Quis tūm non obstu-
puit, cùm aut in illo Sacro Senatu Te perorātem audi-
ret, aut in Consilijs alta negotia tam facile expedien-
tem intelligeret, aut incredibilem Humanitatem in il-
la Magna Fortuna colentem, experiretur , aut raro
Pietatis exemplo præ ceteris videret **EMINENTIS-**
SIMVM?

Inter hæc tām admirabilia, illud admirabilius occurit, quod nihil Antiquius fuit ZENO, quām Patria, cui sicuti omnia sui animi Bona, ita cuncta Fortunæ Munera, quibus supra priuatam Domum redundabat, singulari exemplo donauit. Præferre Patriam Sanguini

8

guini Optimum Ciuem decet. Excogitauit ZENVS
quomodo ipsi Fortunæ incostantiam auferre posset,
& caduca in perpetuum traducere. O aureum tanti
Cardinalis Testamentum! Ex ase Hæredem Rem-
publicam instituit, vt ab ipsa hoc quasi perennis gloriæ
stipendium acciperet. Ita extra Fortunam posuit,
quod vltro suæ Reipublicæ contulit, & quas huic de-
dit, solas semper habebit opes; Locupletior etenim
factus est CARDINALIS ZENVS Amplissimo
Senatus Elogio, cuius aspectu utitur pro voce, vt olim
de Cælo dixit Euthimius, ad sui enim Principis con-
spectum cùm explicatas Virtutes suas quotannis sen-
tiat, nullum diuitiarum suarum pretiū cum tanto ho-
nore conferri posse intelligit.

Non me Latet, quòd sicuti maiorum Syderum
exortus minora sua Luce offundit, & proceræ arbores
procerioribus admotæ decrescunt; Sic vel sublimes
Ciuium Dignitates Maximi Principis præfētia mino-
res esse quodammodo videantur. At summa Veneti
Senatus benignitas tātūm abest, vt Honores præfētos
ZENO obsecuret, quòd suo aspectu mirum in modum
Illuſtrat; de suo illis communicat, non eripit, prodest,
non nocet, extollit, non deprimit, & quod necessitas
exigeret, vis subtrahit beneficiendi. Sicuti autē optimus
Princeps de suo fastigio nihil deperdit, cùm se submit-
tit, suo incorruptus honore; ita cum æqualem se bene-
merito Ciui faciat, vterque extollitur, ille sua Magni-
tudine decorus, hic accepta. Quamobrem Te omnium
Ciuium glorioſſimum nō desinam admirari IOAN-
NES BAPTISTA ZENE, cùm tuum SERENIS-
SIMVM PRINCIPEM ita suauiter trahis, vt eius
oculus fatis sit ad te, tuaque merita consecranda Im-
ortalitati.

